

1575 situ & portu insignem, communire decrevit. Jacobum Boncompagnum filium ecclesiasticae militiae præfecit, atque ad nova ineunda fœdera christianos Principes vehementi animi studio incitabat. Per Joannem Antonium Fachinetum Nuntium Senatum ad classem augendam, viresque maritimæ instaurandas hortabatur. In ancipiis turcicarum rerum eventu minime conducere, populorum salutem, orientis insulas, Cræta regnum fortunæ objicere: ea in re non minus de incolitate, quam de dignitate Reipublicæ agi, quæ prævalidis clasibus & publicum decus semper retinuerat, & terrorem hostibus incusserat: plurimum de illius veteri gloria, qua perpetuis incrementis per tot sæculorum successiones inclaruerat, imminutum iri, nisi, turcica emissâ classe, virium firmitate ac robore maris imperium, quod majores sui non minus sanguine, quam auro pepererant, tueretur. Senatus & in rem christianam curæ, & in Rempublicam voluntatis ergo Gregorio gratias egit; neque imperii securitati, neque decori deesse statutum sibi esse affirmavit: proinde novas in Creta triremes armari jussisse; præsidium, quod ante bellum sexcentis pedestibus constabat, ad sex mille auxisse; classem, quæ pacis tempore multo e minori numero triremium constabat, præterita hyeme ad quadraginta perduxisse: ut vero omnia, quæ ad suorum finium ditiones tutandas necessaria, atque opportuna sint, sedulo curentur, minime Senatum arbitrari e re sua esse, potentissimum Regem laceſſere, cuius vim nuper maximo detimento Cypri amissione, auri immensæ vis effusione, civium internecione expertus fuisset: iis causis compulſus, quæ tandem omnium confessione justissimæ habitæ fuerant, belli consilia ad pacem traduxisset: idcirco obnixe Pontificem ad Rempublicam amplexandam hortari; rogare, ut ecclesiasticarum opum aliquid in immanes sumptus conferret, qui non minus in Reipublicæ quam in reliquorum christianorum Principum incolitatem a Venetis profunderentur.

*Gregorius
Pontifex
Venetos ad
fadas con-
tra Turcas
ineundum
hortatus.*

Hæc licet a Theupolo oratore Senatus nomine Gregorio significarentur, attamen indefesso animo nullum officii genus prætermittebat, quo ad novam incundam societatem Patres impelleret: Nullam neque ampliorem, neque opportuniorem ob-